16

DE

REPUBLICA RHODIORUM COMMENTATIO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GUILELMUS BOTTERMUND

HANNOVERANUS.

HALIS SAXONUM

TYPIS GEBAUERICO-SCHWETSCHKEANIS.

MDCCCLXXXII.

Rhodiorum reipublicae forma ab antiquitatis rerum scriptoribus semper summis laudibus celebrabatur. Diodorus quidem Rhodiorum rempublicam Macedonica aetate omnium Graeciae civitatum vel optime constitutam fuisse affirmat.[1]) Eo magis dolendum est, quod nobis perpauca modo in singulis de Rhodiorum reipublicae forma a rerum scriptoribus tradita sunt, cum, qui de Rhodiorum rebus accuratius scripserunt, Antisthenes Ergeas Polyzelus Zeno Rhodii, eorum operum ne unum quidem ad nostra tempora pervenerit. Perpauca illa, quae de Rhodiorum republica tradita sunt, apud varios antiquitatis rerum scriptores dispersa inveniuntur. Quae primum quamvis inchoata collegisse Meursii laus est. Tum P. D. C. Paulsenius in commentatione sua de Rhodo Macedonica aetate Rhodiorum reipublicae formam accuratius tractavit. Nostra aetate Schneiderwirthius in libro suo de Rhodi insulae historia, quem ex rerum scriptorum fontibus subtiliter atque accurate composuit, quamquam vix plura attulit quam Paulsenius, tamen nonnulla recte coniecit. Quodsi denuo ad Rhodiorum reipublicae formam describendam aggressus sum, propterea feci, quod nunc novi iique puri fontes librariorum erroribus ac mendis omnino non turbati ex inscriptionibus Rhodiis suppetunt, quae nostra aetate permultae repertae sunt. His enim inscriptionibus adjuti non modo nova afferre sed etiam ea, quae a rerum scriptoribus tradita sunt, facilius intelligere potuimus.

Inscriptiones Rhodiae, quibus usus sum, in his libris editae sunt:

1) Corpus Inscriptionum Graecarum 2524—2553.

---

1) Diod. 20, 81.

2) Ross, Inscr. Gr. ined. fasc. III. l. l.
3) Ross, Hellenica Inschriften auf Rhodos.
4) Ross, Archäologische Aufsätze II. p. 584 seqq.
5) Révue archéologique (nouvelle série) t. X seqq. ed Wescher & Foucart.
6) Bulletin de corresp. hellén. tt. II, V l. l. ed. Martha & Papadopoulas-Cérameus.
7) Transactions of the royal society of litterature vol. XI. l. l. ed. Newton.
8) Journal of hellen. studies. 1881. l. l. ed. Newton.
9) Mittheilungen des deutschen arch. Instituts zu Athen. II. p. 223 seqq. ed. Röhl.

§ 1. De civibus.

Rhodiorum civium duo praecipue genera erant, quorum altero ii continebantur, qui cives nati erant, altero, quibus civitas a populo honoris causa data erat. Nemo civis legitimus erat, nisi qui utroque parente natus erat. Qui a patre quidem cive sed matre peregrina nati erant, cives non legitimi videntur fuisse, cum in titulo Lindio[1]) ejusmodi civis quidam dicatur *ματρὸς δὲ ξένας*, quae verba superflua essent, nisi spurium civem indicarent. Hujusmodi cives apud Rhodios *ματροξένους* quoque appellatos esse ex loco quodam scholarum Euripedearum apparet[2]). Matrimonium igitur non legitimum videtur fuisse inter Rhodiorum cives et peregrinos; quemadmodum apud ceteros quoque Graecos acerrime in eos vindicabatur, qui matrimonium contraxerunt civis cum peregrina, peregrinus cum cive, nec quisquam civis habebatur, nisi qui utroque parente natus esset.

Alterum civium genus eorum fuit, quibus civitas data erat. Hanc autem civitatem, quae honoris causa peregrinis dari solebat, cave, ne confundas cum alio Rhodiorum peregrinorum honore, cui *ἐπιδαμία* nomen erat. *Πολιτείαν* proprium honorem fuisse et *ἐπιδαμίας* honori oppositum ex duobos titulis intelligi potest, quorum in altero[3]) civis quidam Rhodiopolitanus dicitur „*ὁ πολείτης καὶ Ῥόδιος*“ in altero[4]) statuarius natione Lycius dicitur „*ὁ καὶ Ῥόδιος,*“

1) Ross, Arch. Aufs. II p. 606 n. 18.
2) Eurip. schol. Alcest. v. 1001; cf. Hesych. s. v. *ματρόξενος*.
3) Le Bas-Waddington, Inscr. Rhodiop.
4) Ross Hell. 36.

quae vox civitatem indicare solet. Item apud Diodorum legimus post urbem a Demetrio obsessam magnum servorum numerum cives factos esse[1]. Toti Atheniensium populo a Rhodiis civitatem datam esse Livius auctor est[2].

Quamnam partem reipublicae Rhodiorum cives obtinuerint et quod in civitate jus habuerint, memoriae non traditum est. Consentaneum autem est, eos praecipue cives, qui cives nati essent, omnibus, quae civium esse solent, juribus usos esse publicorumque consiliorum, judiciorum, magistratuum participes fuisse. Num haec iis quoque licuerint, quibus civitas data erat, num publicis muneribus fungi, contionem adire, ad summos honores adspirare potuerint, vix dici possit.

Rhodiorum mastrorum, qui dicuntur, de quibus infra agendi locus erit, praecipuum munus fuit, ut inquirerent in eos cives, qui vel spurii nati essent vel omnino civitatem injuria usurpassent. Quo enim plus commodi ex ipsa civitate redundabat, eo avidius homines eam concupivisse consentaneum est, sed cum amplissimo hoc honore dignus non haberetur, nisi qui de republica bene esset meritus, homines vero, qui ad eam obrepsissent, peregrini atque inquilini, magnam partem a plebe oriundi essent, fieri non potuit, ut, quod prae animi imbecillitate virtute ac jure assequi non possent, non saepius clandestinis machinationibus et artificiis sibi acquirere enixissime studerent. Non est igitur, quod miremur, hunc dolum malum legibus vehementer vindicatum esse.

§ 2. De peregrinis.

Confluebat Rhodum, in emporium scilicet frequentissimum ac portum totius fere orbis terrarum communem, omnis generis peregrinorum infinita multitudo, nunc litterarum artiumque et vitae laute atque eleganter degendae causa, nunc opificiorum et mercaturae exercendae indeque quaestus faciundi causa, velut statuarii, quorum nomina ipsorum operum fragmentis nobis tradita sunt, maximam partem pere-

1) Diod. 20, 100.
2) Liv. 31, 15.

grini fuerunt. Hi omnes *μέτοικοι* vocabantur et una cum Rhodiorum libertinis[1]) proprium in republica ordinem habuerunt.

De peregrinorum apud Rhodios condicione neque a rerum scriptoribus multum traditum est neque in titulis inveniri potest. Videntur autem iisdem fere juribus usi esse Rhodiorum peregrini atque Atheniensium, cum quibus etiam nomen commune habent. *Λειτουργίας* quidem ut Athenis ita Rhodi quoque non solum cives sed etiam peregrini praestabant, velut in titulo Rhodio[2]) Epigonus *μέτοικος* bis chorum ornavisse dicitur; item in titulo Lindio[2]) legimus *χοραγούς*, qui ad sacra Dionysi et Solis celebranda apud Lindios choros exornarent, ex civibus et ex peregrinis electos esse. Nec tamen omnia illa munera, quae *λειτουργίαι* vocabantur peregrinis item ac civibus curanda fuisse crediderim, neque Rhodi aliae peregrinorum *λειτουργίαι* inveniri possunt ac *χορηγία*, quam Athenis quoque peregrinis licuisse constat. Quodsi peregrinos Rhodi non item atque Athenis exercitui interfuisse et stipendia fecisse ex Diodori loco concludi potest[3]), hoc inde repetendum est, quod Rhodii perpetuum exercitum terrestrem omnino non habuerunt. Nihilo autem minus belli temporibus peregrini urbi defendendae non deerant, quamquam, ut arma caperent, nullo officio astricti erant.

Quae ratio fuerit inter numerum et civium et peregrinorum ex Diodori narratione colligi potest, qui in describenda urbe a Demetrio obsessa Rhodiorum exercitum ex 6000 civium et 1000 peregrinis compositum fuisse dicit. Videtur igitur civium numerus illo quidem tempore sexies superasse peregrinorum numerum; eadem fere ratio quodam modo comprobari potest titulis Rhodiis sepulcralibus, cum ex 110 sepulcris 47 civium, 53 servorum, 10 peregrinorum videantur esse.

In nonnullis titulis Rhodiis artificis nomini verba addita sunt: *ᾧ ἁ ἐπιδαμία δέδοται.* Haec *ἐπιδαμία* honor

1) Ross, J. G. J. 278.
2) Ross, Hell. 47.
3) Diod. 20, 80 seqq.

publicus videtur fuisse, quo Rhodiorum peregrini de republica bene meriti imprimis artifices ornari solebant. Epicharmum quidem Soleum[1]) et Theonem Antiochensem[2]) et Charinum Laodicenum[3]) hoc honore *ἐπιδαμίας* ornatos esse legimus. Quae autem *ἐπιδαμίας* apud Rhodios ratio fuerit, dici vix possit. Rossius eos, quibus *ἐπιδαμία* data erat, superiores fuisse putat peregrinis inferiores civibus, et, cum Epicharmi Solei filius Rhodius dicatur[4]), filios eorum, quibus *ἐπιδαμία* data esset, legitimos cives fuisse existimat. Idem fere Foucarto placet; qui *ἐπιδαμίαν* juri latino comparat sed secernit ab *ἰσοτελείᾳ*. Nescio an *ἐπιδαμία* non nisi earum urbium oriundis data sit, quae quodammodo inferiores essent Rhodo. Phylen quidem Halicarnassium, qui multas Rhodiis statuas fecit, *ἐπιδαμίᾳ* non donatum esse putaverim, cum Halicarnassiis, qui olim cum Rhodiis *ἑξαπόλει* illa Dorica aequo foedere conjuncti erant, Rhodiorum *ἐπιδαμία*, si quidem inferior erat civitate, honor esse vix posset. Neque statuariis Milesiis, Salaminiis, Atheniensibus *ἐπιδαμίαν* datam esse in inscriptionibus legimus. Atheniensibus quidem post a. a. Chr. n. 201, quo anno iis a Rhodiis civitas data erat[5]), *ἐπιδαμία*, quae est infra civitatem, dari non potuit.

§ 3. De servis.

Rhodiorum servi non ut apud Lacedaemonias helotae et apud Cretes aphamiotae ex subjectis terrae incolis orti sunt sed velut Atheniensium servi mancipia fuerunt. Ne antiquissimis quidem temporibus Rhodi primos insulae incolas, cum ab immigrantibus Graecis oppressi essent, victoribus servorum loco fuisse verisimile est. Constat enim Phoenices, qui ante Graecos insulam incolebant, post multa ac diuturna bella aequo foedere cum Graecis conjunctos esse[5]). Post Rhodum urbem conditam, quicunque apud Rhodios

---

1) Ross, Arch. Aufs. II, n. 1; R. A. XI n. 1.
2) R. A. XI, n. 2, XIII n. 12.
3) R. A. XIII, n. 16.
4) Liv. 31, 5.
5) Schneiderw., Gesch. d. J. Rh. p. 12.

servi erant, mancipia fuisse inde intellegi potest, quod omnes fere Rhodiorum servi, qui in inscriptionibus Rhodiis nominantur, peregrini sunt. Facilem rationem servos ex nominibus et patria cognoscendi Foucartus commendat[1]). Servi enim in inscriptionibus nusquam nominantur patris nomine addito, quod potius indicium sit ingenuitatis, sed uno solo nomine plerumque, ut videtur, joculari velut *Ἀφροδίσιος Ἀφροδισία, Κόγχα*; difficilius servi ex patria cognoscuntur, cum multi peregrini liberi (*μέτοικοι*) Rhodi fuerint, sed hi plerumque erant ex insulis vicinis ex Ionia magnisque et Europae et Asiae urbibus emporio florentissimis, cum servi potius ex certis terrae continentis locis remotioribus videantur oriundi esse. Quam quidem rationem a Foucarto commendatam adhibentes 59 servos in titulis Rhodiis cognoscere possumus, quorum 8 sunt Lycii[2]), 8 Cilices[3]), 6 Rhodi nati[4]), 5 Cares[5]), 5 Phryges[6]), 5 Syri[7]), 4 in Ioniae urbibus nati[8]), 3 Thraces[9]), 2 Pisidii[10]), 2 Macedones[11]), 2 Siculi[12]), 1 Lydius[13]), 1 Celta[14]), 1 Athenis natus[15]), 1 Cyreneus[16]), 1 Calaber[17]), 3 originis ignotae[18]).

---

1) R. A. XIV, p. 329.

2) C. J. G. 2528, 2551; Ross, J. G. J. 278, R. A. XIV, nn. 47, 48, 55; Bull. II, p. 618 nn. 9, 12.

3) Ross, Hell. 32 b—d.; Bull. II, l. c.; R. A. XIV, nn. 44, 49.

4) C. J. G. 2551; R. A. XIV, nn. 54, 55; Ross, Hell. n. 40: Bull. II, nn. 14, 15.

5) Ross, Hell. 32c, 41, 48; R. A. XIII, n. 20.

6) Ross, Hell. 32g; J. G. J. 284; R. A. XIV, n. 45; Bull. V, p. 335 No. 12.

7) Ross, Hell. 38; Arch. Aufs. II, p. 618 n. 31; R. A. XIV, nn. 47, 54, 56.

8) C. J. G. 2549; R. A. XIV, nn. 50, 51; Bull. II, p. 618.

9) C. J. G. 2543; R. A. XIV, n. 58; Ross, Hell. 32b.

10) R. A. XIV, n. 53; Bull. II, n. 13.

11) Ross, Hell. 34: Bull. V, n. 13 l. c.

12) C. J. G. 2550; Bull. II, n. 5 l. c.

13) Ross, Hell. 39; R. A. XIV, n. 52.

14) R. A. XIV, n. 53.

15) R. A. XIV, n. 46.

16) C. J. G. 2541.

17) Ross, J. G. J. 278.

18) Bull. II, n. 16—18 l. c.

Servorum condicionem atque usum non est, cur Rhodi alium fuisse putemus atque in ceteris Graeciae rebus publicis. Quae quidem ex titulis colligi possunt non discrepant cum iis, quae de servorum apud ceteros Graecos condicione constant.

Ac primum quidem praeter servos domesticos publicos quoque servos fuisse ex titulo Rhodio[1]) concludi potest, in quo homo quidam Rhodiopolitanus videlicet *μέτοικος* ex servo factus, cum dicatur a populo liberatus, publicus servus videtur fuisse, siquidem a populo ut a domino liberatus est. Sic enim tituli verba . . *ἐλευθερωθέντος ὑπὸ τᾶς πόλεως* . . . . intellegenda esse existimo, quae Rossius falso interpretatur, cum virum ex inquilino civem factum esse dicat; neque enim, qui ex inquilino civis fit, liberari dici potest, cum inquilinus, quamquam non est civis, tamen liber sit.

Servorum fuisse matrimonia item titulis confirmatur[2]), quamquam vix vulgo facta esse crediderim, cum non nisi 3 exempla adhuc nota sint, et, ut supra demonstravimus, ex 59 Rhodiorum servis modo 6 Rhodi nati sint. Quae ex his servorum matrimoniis proles nascebatur, item servitutis jugum ferebat. In titulis nominantur *ἐγγενεῖς* (*ἐνδογενεῖς, οἰκογενεῖς*), nonunquam, siquidem mulieres sunt, *Ῥόδιαι*[3]), quod nomen alias cives indicare soleat.

Rhodiorum servis jus fuisse peculii parandi inde apparet, quod saepius in titulis et pecuniam et anathemata ab hominibus videlicet servis donata esse legimus.

Item servi societatum illarum ad communia sacra celebranda institutarum, quarum naturam Foucartus in libro suo copiosius descripsit, participes videntur fuisse[4]).

Servorum numerus pro civibus Rhodi ut Athenis satis magnus erat, quaequidem res quodammodo comprobari videtur eo, quod ex 110 titulis sepulcralibus, qui in Rhodo insula reperti sunt, 53 servorum sunt, ceteri civium et

---

1) Ross, J. G. J. 278.
2) R. A. XIV, nn. 53—55.
3) R. A. XIV, nn. 54, 57.
4) Foucart, Des ass. relig.

μετοίκων. Qua ex servorum multitudine ut Atheniensibus ita Rhodiis quoque periculum praesertim belli temporibus ortum esse maxime verisimile est: seditionem quidem servorum Rhodi factam esse confirmari videtur titulo Rhodio [1]. Item Rhodios, cum urbs a. a. Chr. n. 307 a Demetrio oppugnaretur, servis civitatem aliosque honores vix concessisse putaverim, nisi timerent, ne servi urbem proderent, praesertim cum peregrinis, qui item arma cepissent, iidem honores non contigerint.

Hoc autem periculum, quod cuique Graeciae reipublicae ex servorum multitudine oriebatur, minutum videtur esse cautione illa, quam et Plato et Aristoteles et publice et privatim insigniter commendant [2], ne popularium nimius inter servos numerus esset eodemve sermonis genere uterentur. Quod philosophorum praeceptum, quam bene apud Rhodios observatum sit, ex Rhodiorum servorum numeris ad huc cognitorum, quos supra composuimus, liquido apparet, cum Rhodiorum servi undique terrarum oriundi fuisse neque ullius terrae servi ceteros numero superasse videantur.

Ceterum servorum apud Rhodios condicionem non minus aequam fuisse credibile est, quam quae fuit apud Athenienses, quorum vel nimia in servos lenitas atque indulgentia satis notae sunt.

§ 4. De tribubus.

Jam ut de variis rationibus dicamus, quibus populus in singulas partes dividebatur, antiquissima populi divisio ut apud ceteros Graecos ita apud Rhodios quoque ea fuit, qua civitas in φυλάς i. e. in tribus distributa erat. Tribuum apud Rhodios nec de nominibus nec de numero constat. Tres quidem illas tribus Doricas, quae erant in plerisque rebus publicis Doricis, antiquissimis temporibus Rhodi quoque fuisse cum ex Homeri loco [3] tum ex titulis Gelae et Agrigenti [4], quas urbes colonias esse constat deductas a

1) Ross, Hell. 46.
2) Arist. Oeconom. 1, 5; Platon. legg. VI, 777.
3) Hom. Il. II, 668.
4) C. J. G. nn. 5475, 5491.

Lindiis[1]), concludi potest. Quamquam Muelleri sententia videtur rejicienda esse, qua putat tres illas Rhodi insulae urbes antiquissimas, Lindum, Ialysum, Camirum ex tribus Doricis tribubus secretis ortas esse. Neque enim Graeci has urbes aut primi condiderunt, cum constet eas Phoenicum esse colonias[2]), aut expugnatas inter se ita distribuerunt, ut suam quaeque tribus urbem acciperet, cum urbes non omnes simul sed post multa ac diuturna bella unam post alteram expugnarent, ita ut Lindum et Camirum jam diu communiter habitasse videantur, cum Ialysus Phoenicum adhuc semper esset[3]). Neque etiam, postquam totam denique insulam sibi subjecerunt, Graeci tres insulae urbes tributim habitaverunt; scimus enim Lindum, Ialysum, Camirum ante Rhodum urbem conditam suam qnamque propriam rempublicam habuisse, id quod cum tribuum natura non consentit, cum vix consentaneum sit, tribus, quae in ceteris omnibus Graeciae rebus publicis civitatis partem efficiant, tantummodo Rhodi propriis rebus publicis contineri. Contra in una quaque insulae civitatum tres illae tribus Doricae videntur fuisse, id quod de Lindo quidem constat, cum in Agrigento Lindiorum colonia tres tribus Doricas fuisse ex inscriptione illa Agrigentina concludi possit.

Quodsi Mueller, cum tres insulae urbes ex tribus tribubus ortas esse dicat, modo tres fuisse Rhodiorum tribus putavit, contra aut Rhodi aut Agrigenti, quod Boeckhius commendat[4]), tres illas tribus Doricas solas fuisse verisimile est. Constat enim in omnibus fere civitatibus Doricis, tres illas tribus Doricas conjunctas fuisse cum una vel pluribus aliis, quibus antiquissimi terrae incolae plerumque Achaei continebantur[5]). Qua de causa Rhodi quoque plures tribus fuisse existimo. Achaeorum quidem tribus ut Argis[5]) ita Rhodi quoque fuisse verisimile est, quod Rhodii maximam

---

1) Schneiderw. anm. 11.
2) Schneiderw. p. 11, anm. 6.
3) ibidem.
4) C. J. G. n. 5491.
5) Hermann, St.-Altert. § 20, anm. 11.

partem originis sunt Argivae[7]. Cujus Rhodiorum cum Argivis affinitatis nonnulla quasi vestigia in inscriptionibus inveniuntur. Huc pertinent nomina; *δαμιουργός*[1], magistratus Camirensis nomen, quod, nisi omnino Achaicum, certe Argivum est[2], Achaja, Jalysiorum acropolis[3], Acestor[4], Argos[5], nomen pagi cujusdam Rhodii. Ad has Graecorum tribus Phoenices accessisse verisimile est, quibuscum Graeci aequo foedere sese conjunxerunt et quos, nisi singulis tribubus Graecis recepti sunt, propriam tribum effecisse consentaneum sit.

Tribus in gentes descriptas fuisse Newtonius ex titulo quodam inedito musei Britannici concludit, in quo gentes ad Camirensium civitatem pertinentes in classes (tribus?) discriptas enumeravi videantur. Lindiorum quaedam gens *πάτρα ἁ Δρυίταν* titulo quoque Lindio testata est[6].

Haec habui, quae de Rhodiorum tribubus exponerem, quae, quamquam pauca eaque incerta sunt, tamen quamvis inchoata colligenda quidem esse existimavi. Quae autem tribuum ratio fuerit in Rhodiorum republica post novam Rhodum urbem conditam, num forte sex illi prytanes, qui reipublicae praeerant, sex Rhodiorum tribus indicent, vix dici possit. Jam de ceteris rationibus agamus, quibus populus post novam urbem conditam distributus videtur esse.

§ 5. De pagis.

Antiquissima ratio est, qua populus secundum domicilii sacrorumque communitatem in pagos (*δᾶμος*) videtur divisus fuisse. Pagorum multa nomina in inscriptionibus Rhodiis inveniuntur. Saepius enim in titulis civium nomina cum adtributis occurrunt, quae sine dubio ad pagos, ubi nati sunt, referenda sunt.

1) Schneiderw. anm. 7.
2) R. A. XIV, n. 59; Bull. V, p. 336, n. 14.
3) Ross, J. G. J. n. 166.
4) Transact. XI, p. 435; Athenaeus VIII, 360.
5) R. A. XIII, nn. 10, 12.
6) R. A. XIII, n. 30.
7) R. A. XIII, n. 6.

Horum pagorum ad Lindiorum civitatem pertinebant *Λινδοπολῖται*[1]), Lindi urbis incolae, *Κλάσιοι*[2]), *Δαδάρμιοι*[3]), *Νεττίδαι*[4]), *Βουλίδαι*[5]), *Βράσιοι*[6]), *Ἀργαῖοι*[7]), *Καμύνδιοι*[8]), *Κρατάβιοι*[9]), *Πεδιεῖς*[10]), *Δρυῖται*[11]), *Πάγιοι*[12]), *Ἐριανεῖς*[13]). De pagis reliquarum insulae civitatum nihil certi notum est. *Ἀστυπαλαιεῖς*[14]), *Βρυγινδάριοι*[15]), *Ἱστάνιοι*[16]), *Νεοπολῖται*[17]), *Πολῖται*[18]), *Ποντοπωρεῖς*[19]), *Σιβύδιοι*[20]) ad Camirum pertinere videntur[21]). Nomina quoque *Ἅμιος*[22]), *Βρυκούντιος*[23]), *Μύσκιος*[24]) ad pagos referenda esse existimo, quamquam nescio, cui civitati tribuenda sint.

Antiquissimi Rhodiorum pagi nonnunquam ex gentibus orti sunt. *Δρυῖται* quidem, qui alicubi pagus videntur esse, in titulo quodam Lindio *πάτρα* dicuntur[25]). Nec veridissimile est antiquissimorum pagorum incolas ad proprias gentes pertinuisse, ita ut una quaeque gens proprium pagum effi-

---

1—10) R. A. XV, n. 60.
2) Ross, Hell. 23.
3) C. J. G. 2513.
4) Journ. of Hell. st. 1881.
5) Ross, Hell. 26 b, R. A. XIII, nn. 33, 34.
6) Ross, Hell. 31 b, R. A. XIII, nn. 31, 32.
7) R. A. XIII, n. 30.
8) Ross, Arch. Aufs. II, n. 22 l. c.
9) R. A. XV, n. 60.
10) R. A. XIII, n. 32, Bull. 1881, Juni l. c. n. 7; Ross, Hell. 31 a.
11) R. A. XI, n. 6; Ross, Hell. 25.
12) Ross, Hell. 29; Arch. Aufs. II, n. 26 l. c.
13) Ross, A. Aufs. II, n. 26; R. A. XIII, No. 35.
14) 14—20. R. A. XIV, p. 337; Ross, J. G. J. 277.
15) C. J. G. 2537.
16) Ross, J. G. J. 277; Hell. 42.
17) Ross, J. G. J. 277.
18) ibid.
19) C. J. G. 2513, 2545, 2546; Ross, J. G. J. 267; Hell. 27 a. b.
20) Ross, J. G. J. 277.
21) R. A. XV, p. 337.
22) Ross, Hell. 35 a, b, c.
23) ibid. a, b.
24) ibid. 34.
25) R. A. XIII, n. 6.

ceret. Comprobari res videtur eo, quod nonnulli Lindiorum pagi, *Βουλίδαι*, *Νεττίδαι* nomina habent patronymica, quae scilicet de illius viri nomine derivata sunt, qui dicitur heros gentilicius gentisque auctor fuit. Item Athenis nomina nonnullorum antiquissimorum pagorum patronymica erant. Huc non pertinent, quod Foucartus affert, quod in Teo urbe, quam errore coloniam esse dicit Lindiorum, *συμμορία* *Ἐχίνου* patronymico nomine appellatur *Ἐχινάδαι*, cum ex inscriptione[1]) non eluceat, hanc *συμμορίαν* proprium pagum effecisse. Item quae de Olymnes Cariae tribubus affert, quae *συγγένειαι* vel *φυλαί* nominabantur, num ad pagos quoque referenda sint, admodum dubium est[2]).

Praeter hanc antiquissimam populi divisionem in *δάμους* post novam urbem conditam alteram eamque similem civitatis divisionem in *κτοίνας* fuisse ex titulo Camirensi apparet[3]), quo titulo Camirensium decretum traditum est, ut omnes *κτοῖναι*, quae ad Camirensium civitatem pertinerent, in lapide conscriberentur, et ut in sanctissimo cujusque *κτοίνης* sacro (*ἐν τῷ ἁγιωτάτω ἱερῷ*) *μάστροι* eligerentur. Has vero *κτοίνας* non solum Camirensium fuisse institutum ex tituli verbis apparet *κατὰ νόμον τὸν Ῥοδίων*, unde sequitur, totum Rhodiorum pnpulum in *κτοίνας* divisum fuisse. Fuerunt autem *κτοῖναι*, ut Hesychii vocis interpretationem afferam, *χορήσεις προγονικῶν ἱερείων ἢ δῆμος μεμερισμένος*, quae Hesychii verba cum Newtonio de paroeciis, in quas veteres pagi discripti fuerint, intellegenda esse existimo. Videntur autem pagi pro magnitudine in plures vel pauciores *κτοίνας* discripti fuisse. In titulo quidem illo Lindio jam saepius citato numerus virorum, qui publica laude afficiuntur, siquidem, ut verisimile est, *κατὰ κτοίνας* electi erant, pagorum, unde oriundi erant, et quae fuerit magnitudo et quot fuerint *κτοῖναι*, indicare possit. Quodsi in eodem titulo *Δρυῖται*, *Πάγιοι*, *Ἐριανεῖς*, quos certis Lindiorum pagis contineri aliis inscriptionibus confirmatur, non

---

1) C. J. G. 3066.
2) R. A. XV, p. 211.
3) Transact. of the r. s. of litt. XI, p. 435.

item in pagorum numero enumerantur, inde repetendum videtur, quod in illa populi divisione in κτοίνας ii pagi, quibus propter exiguitatem propria aedes (ἁγιώτατον ἱερόν) omnino non esset, cum una ex vicinis κτοίναις coalescebant. Δρυίτας quidem ad Lindopolitas pertinuisse crediderim, quibuscum in titulo quodam una nominantur[1]).

Huic populi divisioni in κτοίνας similis videtur fuisse illa divisio, qua Clisthenes Athenienses in 100 pagos distribuit, neque dubito, quin haec popularis civitatis in κτοίνας distribuendae ratio post novam Rhodum urbem conditam demum instituta sit, cum nobilium principatu sublato imperium apud populum esset, praesertim cum haec populi divisio non nisi in iis civitatibus inveniatur, in quibus omnia a populo regantur. Quanti autem ad rempublicem administrandam momenti apud Rhodios κτοῖναι fuerint, inde intellegitur, quod κατὰ κτοίνας μάστροι, Rhodiorum senatores, eligebantur, nec dubito, quin aliae quoque electiones apud Rhodios κατὰ κτοίνας factae sint.

§. 6. De classibus.

Novas illas tribus, quae ad veteres tribus Doricas accesserunt, ut fieri solebat in plurimis civitatibus Doricis[2]), ita Rhodi quoque de suis juribus certamen cum tribubus Doricis iniisse admodum verisimile est. Cujus certaminis eventus Rhodi idem videtur fuisse atque in plerisque civitatibus Doricis, ut nobiliores Dorum gentes superiores decederent, reges tollerent et reipublicae formam constituerent, qua omnia a nobilibus regerentur. Nec tamen populus a nobilibus prorsus oppressus est, sed nobilium dominatione magis magisque sese liberare studuit, praesertim cum, ut certa sibi jura acquireret, inopia ac paupertate, qua subjecti premebantur, magnopere incitaretur.

Haud parvum plebis in hoc certamine emolumentum veterem illam legem fuisse crediderim, qua Strabo dicit[3])

1) R. A. XIII, n. 6.
2) Herrmann, St.-Alterth. 20, 11.
3) Strab. XIV, 653.

Rhodiorum divites adstrictos fuisse, ut pauperibus frumentum donarent. Pauperes enim, cum civitati stipendia facere cogerentur, suos alere non potuerunt, ita ut civitas, siquidem pauperum stipendiis praesertim in classi carere noluit, pauperibus frumentum dare coacta erat. Hac autem lege cum divites a pauperibus secernantur adducimur, ut cives secundum rem familiarem quoque in certas classes distributas esse putemus. Confirmatur haec nostra sententia eo, quod Strabo *λειτουργίας* fuisse dicit, quibus pauperibus cibus praeberetur, et quod ex Rhodiorum *λειτουργίαις χορηγία* in titulis quoque nominatur [1]. Hae enim *λειτουργίαι* in omnibus Graeciae rebus publicis, ubi instituti erant, iis civibus, qui certam fortunam habebant, ex lege exornandae erant. Idem officium fuisse Rhodiis quoque civibus, qui quidem satis divites essent, inde apparet, quod Rhodiopoli in Rhodi colonia, ubi ejusmodi instituta eadem fuisse atque in metropoli consentaneum est, *ἀλιτουργία* in publicorum honorum numero nominatur [2]. *Ἀλιτουργία* enim eorum privilegium vocabatur, qui, quamquam pro re familiari sua *λειτουργίας* praestare debebant, propter magna de republica merita ex hoc officio eximebantur. Quae cum ita sint, facere non possumus, quin Rhodios item atque Athenienses vel alias quoque Graeciae civitates in certas classes secundum fortunam divisos esse credamus.

Nescio, an singularum classium ut varia officia ita varia quoque jura fuerint. Paulsenius quidem putat civium pauperrimam classem comitiis exclusam fuisse [3], quod ex Strabonis verbis l. c. *καίπερ οὐ δημοκρατικῶς πολιτευόμενοι* injuria concludit. Neque enim verisimile est hunc sensum inesse illis verbis, quae sine dubio eo spectant, quod apud Rhodios comitiis nulla omnino erat rogationum ferendarum potestas, sed nihil in comitiis deliberabatur nisi quae a prytanibus rogata erant; civitas autem ita temperata *οὐ δημοκρατικῶς πολιτευομένη* dici potuit. Praeterea pugnat contra Paulsenii sententiam, ut recte Schneiderwirthius mo-

1) Ross, J. G. J. 278; Hell. 47.
2) Lebas-Waddington l. l.
3) Paulsen p. 49.

net, Sallustii locus, quo dicit Rhodi et divites et pauperes judiciis interfuisse [1]). Nihilo autem minus verisimile est ditioribus civium plura jura fuisse quam pauperioribus, quamquam, qualia fuerint, non notum est: forsitan certi magistratus publici e ditioribus civibus eligebantur.

§ 7. Rhodiorum *συνοικισμός*.

Rhodiorum reipublicae forma, qualis fuit Macedonica aetate, primo illis temporibus videtur orta esse, quibus Athenienses cum Lacedaemoniis de Graeciae principatu certabant. Quem cum utrique amisissent, tum Rhodii, qui amborum illorum civitatis formae generum et commoda et incommoda cognoverant, suae civitatis formam scilicet sensim sensimque ita instituebant, ut optima quaeque ex utraque illarum electa in eam transferrent.

Ac primum quidem in rerum progressu quasi principium Rhodiorum in unam urbem *συνοίκισις* fuit. Rhodii enim, cum antea in tribus illis insulae urbibus sparsi viverent, et majoris securitatis causa, et ut conjunctis viribus hostibus facilius resistere possent, a. a. Chr. n. 407 in unam urbem commigraverunt [2]). Quamquam nova urbs imprimis nobilibus auctoribus condita erat, tamen, ut fieri solebat in omnibus fere Graeciae *συνοικισμοῖς*, mox post multa scilicet factionum certamina imperium videtur ad populum venisse [3]), a quo instituta illa popularia velut civium divisionem in *κτοίνας* totamque rei publicae formam tum constitutam esse consentaneum est. Quod quomodo vel quo ordine in singulis factum sit, deficientibus testibus dici vix possit. Ne ea ipsa quidem quaestio, quam hac paragrapho tractandam mihi proposui, quae ratio fuerit inter novam Rhodum urbem et veteres illas insulae civitates, satis perspicua est. Quae de hac re dici possunt, quamquam admodum incerta sunt, tamen id quidem verisimile videtur, quod Rossio quoque persuasum fuisse video, totam insulam unam habuisse rem-

---

1) Sallust, de rep. ord. ep. 2.
2) Diod. XIII, 75.
3) Schneiderw. p. 23.

publicam, cujus Rhodus urbs commune caput fuerit. Nova enim urbe condita Rhodiorum maxima pars εἰς τὰν μεγάλαν πόλιν migraverunt, ita ut veteres illae insulae urbes ad pagorum exiguitatem reductae esse videantur. Lindus quidem urbs non major videtur fuisse quam Nettaea pagus, quod ex titulo illo Lindio[1]) intelligi potest, ubi idem numerus est allegatorum Nettidarum ac Lindiorum. Nihilo autem minus tres has urbes Lindiorum, Ialysiorum, Camirensium etiam post Rhodum urbem conditam proprias civitates fuisse et suos quamque pagos habuisse ex psephismatis nonnullis, quae harum urbium titulis tradita sunt, liquido apparet. Vero enim vero haec psephismata non nisi ad sacra pertinent, neque usquam alius generis negotii publici mentio fit, et magistratus, qui apud Lindios, Ialysios, Camirenses nominantur, tantum sacrorum causa videntur instituti esse, cum prytanes, nauarchi, praefecti, quos ἐν τῇ μεγάλῃ πόλει magistratus fuisse constat, in his civitatibus nusquam inveniantur.

Quae cum ita sint, facere non possum, quin tres illas urbes etiam post Rhodum urbem conditam proprias ac secretas civitates ita fuisse putem, ut propria eorum respublica non nisi in sacris versaretur, cetera negotia publica Rhodo ut communi insulae capiti commissa essent.

Scilicet in his negotiis administrandis omnibus Rhodiis eadem jura erant, ita ut senatores ceterique magistratus ad publica Rhodiorum negotia curanda instituti ex universo populo crearentur. Hermagoras quidem Lindius ex pago Clasiorum in titulo Lindio posterioris temporis[2]) ἐν τῇ μεγάλῃ πόλει et prytanis et quaestor fuisse dicitur, cum Lindi ἱεροταμίας fuisset. Item in alio titulo Lindio[3]) Lindius quidam, quem plures apud Lindios magistratus gessisse legimus, ἐν τῇ μεγάλῃ πόλει eponymus fuisse dicitur. Magna ἐν τῇ μεγάλῃ πόλει comitia omnium Rhodiorum communia fuisse quodam modo comprobari potest eo, quod Rossius in Rhodiorum psephismatis verba δᾶμος ὁ Ῥοδίων vel ὁ σύμ-

1) R. A. XV n. 60.
2) Ross, Hell. 23.
3) Ross, Arch. Aufs. II, n. 26 l. l.

πας δᾶμος et similia de omnibus Rhodiis usurpata esse dicit[1]). Quod, nescio quo jure, Foucartus falsum esse vult[2]). Quodsi in inscriptionibus nonnullis legitur *δᾶμος ὁ Λινδοπολιτᾶν*[3]) vel *δᾶμος ὁ Νεττιδᾶν*[4]), *δᾶμος* in his titulis non populum significat sed pagum, quae vocis significatio usitata ac trita est et in titulo illo Lindio[5]) inde quoque intelligitur, quod verbis *δᾶμος ὁ Λινδοπολιτᾶν* opposita sunt verba *πάτρα ἁ Δρυιτᾶν*. Verum enim vero nusquam legitur *δάμος ὁ Λινδίων* aut *Ἰαλυσίων* aut *Καμιρέων* sed *Λίνδιοι*, *Ἰαλύσιοι*, *Καμρεῖς*, vel *τὸ πλῆθος τὸ Λινδίων* etc. Videtur igitur in titulis Lindiis Ialysiis Camirensibus vox *δᾶμος* ita usurpata esse, ut pagum significet, nunquam totam civitatem, quae potius aliis vocibus *Λίνδιοι*, *Ἰαλύσιοι*, *Καμιρεῖς* vel *τὸ πλῆθος τὸ Λινδίων* etc. appellatur. Contra in titulorum Rhodiorum verbis *ὁ δᾶμος ὁ Ῥοδίων καὶ ἁ βουλά* vel *ὁ σύμπας δᾶμος* vox *δᾶμος* de pago intellegenda esse non videtur, cum Rhodus urbs, *ἁ μεγάλα πόλις*, vix pagus appellata sit; multo igitur probabilius Rossius commendat vocem de universo Rhodiorum populo usurpatam esse, ita ut decreta ejusmodi verba exhibentia in magnis comitiis ab universo Rhodiorum populo facta sint.

Rhodum urbem non tam propriam civitatem quam totius insulae commune caput fuisse eo quoque verisimile fit, quod ei nomen cum tota insula commune est, et quod Rhodii, urbem, si aliis insulae urbibus opposuerunt, non Rhodum appellaverunt sed *τὰν μεγάλαν πόλιν*[6]).

§ 8. De comitiis.

Rhodiorum comitia nomine *ἐκκλησία* vocabantur[7]), quod nomen dubito, an Lindiorum quoque et Ialysiorum et Camirensium comitiis ante Rhodum urbem conditam fuerit.

1) Ross, Arch. Aufs. p. 611.
2) R. A. XVI. p. 27.
3) R. A. XIII, n. 6.
4) Journal of hell. st 1881 l. l.
5) R. A. XIII. n. 6.
6) Ross. Arch. Aufs. II, n. 26, pag. 615.
7) Polyb. 26, 3.

Gelae quidem et Agrigenti, in Lindiorum coloniis, comitia vocabantur *ἁλίαι*[1]), quod Lindiorum quoque comitiis nomen fuisse crediderim, praesertim cum in ceteris plerisque civitatibus Doricis comitia *ἁλίαι* vel *ἁλιαῖαι* vocarentur. Quodsi Polybius Rhodiorum comitia *ἐκκλησίαν* vocat, hoc nomen ex Atheniensium exemplo repeti potest, quod Rhodii in multis rebus significandis secuti videntur esse. Forsitan Polybius Rhodiorum comitiorum nomen *ἐκκλησίας* usurpans, ipsorum Rhodiorum significationis nullam rationem habuit, sed comitia quasi generali nomine *ἐκκλησίαν* vocavit. In titulis nomen *ἐκκλησία* omnino non invenitur, novae fortasse inscriptionis huic quaestioni lumen afferent.

Omnes Rhodios, Lindios, Ialysios, Camirenses comitiis interfuisse, quae res sane omnium summa est, superiore paragrapho demonstrasse mihi videor; item, quid de Paulsenii conjectura cogitem, cum putet pauperrimos cives comitiis exclusos fuisse, jam supra exposui.

Jam ut de comitiorum potestate agamus, Paulsenius ex Polybii narratione[2]) recte concludit, comitiis earum tantum rerum, quae a prytanibus atque a senatu ad ea perferebantur, decernendarum potestatem fuisse, ita ut de prytanum rogationibus primum a senatu tum a populo deliberaretur, neque omnino ad comitia venirent, quae jam a senatu rejecta essent. Quae in curia decreta erant, in comitiis aut probabantur aut reiiciebantur. Sane haec res summi momenti erat, cum ita neque populus novarum rerum studiosus ipse leges ferre posset neque, qui populo praeerant, suo arbitrio rem publicam administrare possent. Itaque non mirum est, quod, cum ceteri rerum scriptores Rhodo popularem rei publicae formam vindicent, Strabo Rhodios *οὐ δημοκρατικῶς πολιτευομένους* dicit. Revera quidem Rhodiorum reipublicae forma majore jure dicatur popularis, cum, etsi rogationum ferendarum populi nulla potestas esset, tamen omnium rerum ultimum ac summum ejus arbitrium fuerit. Ita quoque factum est, ut in Rhodiorum

1) C. J. G. 5491.
2) Polyb. 27, 6.

decretorum verbis sollemnibus ὁ δᾶμος ὁ Ῥοδίων καὶ ἁ βουλά primo loco positum sit ὁ δᾶμος.

Decernebant autem comitia de summis belli pacisque rebus ad rempublicam spectantibus, de foederibus ineundis[1]), de legatis mittendis[2]), de legibus ferendis[3]), de praemiis concedendis[4]) nec non de aliis negotiis publicis. In comitiis magistratus quoque creatos esse ex Appiani loco apparet[5]). Suffragium autem fuit manuum porrectio, χειροτονία[6]), verisimile tamen est alias quoque fuisse suffragii ferendi rationes. Comitia certis temporibus facta esse consentaneum est, sed forsitan, ut Athenis, etiam si res postulabat, die extraordinario a prytanibus convocata sunt, qui magistratus apud Rhodios comitia quoque regebant. Locus comitiorum legitimus theatrum videtur fuisse[7]).

Praeter haec magna Rhodiorum comitia, nescio, an in modum illius Spartanorum ἐκκλησίας μικρᾶς ὁμοίων Rhodi quoque legitimus electorum virorum conventus fuerit. Mueller quidem[8]), quem Schneiderwirthius quoque secutus est[9]), ex Hesychii verbis: ἀνεκλητεῖν· ἐξαίρεσιν ποιεῖσθαι παρὰ Ῥοδίοις injuria concludendum esse putat, Rhodi nobilium propriam fuisse contionem, cum hoc cum populari Rhodiorum reipublicae forma vix consentiat. Omnino non constat, num Hesychii locus de electorum virorum contionibus praeter comitia factis intellegendus sit, nec vehementer pugnaverim, si quis dicat Hesychii verba ad ipsa Rhodiorum comitia referenda esse et ἐξαίρεσιν illam per omnes Rhodios, Lindios, Ialysios, Camirenses factam esse, qui cum comitiis non omnes interesse possent, viros elegerint, quos Rhodum ad comitia mitterent.

---

1) Diod. 19, 58; Polyb. 29, 5.
2) Polyb. 29, 4.
3) Diod. 20, 84.
4) Dio Chrys. Orat. Rh.; R. A. XIII, No. 9.
5) App., de bell. civ. 4, 66.
6) Polyb. 29, 4.
7) Cic., de rep. 3, 35.
8) Mueller, Dorier.
9) Schneiderw. anm. 105.

Scilicet praeter magna comitia omnium Rhodiorum communia singularum quoque insulae civitatum contiones fuerunt. In his quidem Lindiorum, Camirensium, Jalysiorum contionibus, ut ex psephismatis apparet, non nisi de rebus ad sacra pertinentibus, de civibus laudandis vel coronandis vel publicis honoribus ornandis denique de iis tantum rebus, quae singularum civitatum propriae essent, deliberabatur. Ceterum singulorum civitatum oppidorum ut proprium senatum ita propriam contionem fuisse ex titulo quodam a Newtonio edito[1]) concludi potest. Neque in his contionibus quidquam aliud videtur deliberatum esse, nisi quae ad ipsum pagum pertinerent, velut ex titulo citato apparet societatum ad sacra pertinentium decreta in his pagorum contionibus sancita esse.

§ 9. De senatu.

Rhodiorum senatores apud Hesychium *μάστροι* vocantur, quo nomine in titulis non nisi Lindiorum, Ialysiorum, Camirensium senatores appellatos esse legimus. Quodsi quaeritur, num iidem magistratus sint, Lindiorum, Ialysiorum, Camirensium *μάστροι* ac Rhodiorum senatores, quorum collegium in titulis *ἁ βουλά* vocatur, inter duos magistratus eam rationem interfuisse crediderim, ut Rhodiorum senatores a veteribus mastris, qui in ceteris insulae urbibus etiam post Rhodum urbem conditam hoc ipso nomine permanserint, amplificatis atque auctis muneribus oriundi et profecti sint. Idem Bernhardyo persuasum fuisse videtur, qui Hesychii locum Suidae et Harpocratonis (s. v. *μαστῆρες* et *ζητηταί*) rationem habeus probabiliter ita restituit: *μάστροι· οἱ παρὰ Ῥοδίοις βουλευτῆρες* [*οἱ καὶ μαστῆρες*], cum *μαστῆρες* idem significet ac *μάστροι*. Rhodiorum senatores post Rhodum urbem conditam nomen mastrorum retinuisse, titulis quidem non testatum est, sed non est, cur Hesychio fidem habendam esse negemus, qui omnes Rhodiorum senatores mastros appellatos esse testis est.

1) Journ. of hell. st. 1881 l. l.

Proprium autem ac primarium mastrorum munus versabatur in sacris; qua de causa in Lindiorum, Ialysiorum, Camirensium civitatibus tantum sacris videntur praefuisse. Omnino enim antiquissimis temporibus summa reipublicae in sacris spectabatur, ita ut Lindii, Ialysii Camirenses, cum novam urbem condidissent, cetera omnia inter se communia constituerent, sacrorum proprium sibi arbitrium retinerent. Mastrorum quidem proprium munus in sacris versatum esse titulo quodam Camirensi probatur [1]). Quem titulum a Newtonio falso intellectum esse puto, cum in verbis: *ἐγ δὲ ταύταν τᾶν κτοινᾶν ἀποδεικνύνειν τοὺς κτοινάτας μ ά σ τ ρ ο ν ἐν τῷ ἱερῷ τῷ ἁγιωτάτῳ ἐν τᾷ κτοίνᾳ κατὰ τὸν νόμον τὸν τῶν Ῥοδίων· τ ο ῦ τ ο ι δὲ συνλεγέσθων ἐν Καμείρῳ εἰς τὸ ἱερὸν τᾶς Ἀθάνας* — — *τοῦτοι* non ad pluralem *κτοινάτας* referendum sit, quod sensum nullum praebeat — omnes enim *κτοινάτας* in Camirum urbem ad sacra inspicienda convenisse vix consentaneum est — sed *κατὰ σύνεσιν* ad singularem *μάστρον*, qui ante *τοῦτοι* praecedit. Creabantur igitur *μάστροι κατὰ κτοίνας* in sanctissima quisque *κτοίνης* aede et conveniebant in maximum civitatis sacrum, quod Camiri templum fuit Minervae, ubi publica sacra inspicerent. Sic enim extrema tituli verba, quae quidem supersunt, cum Newtonio intellegenda esse puto. Mastros sacris praefuisse ex decreto quoque apparet, quod titulo Ialysio [2]) traditum est, ut sacrilegium ad mastros deferretur. Quae in titulo Lindio [3]) triginta illorum virorum munera memorantur, a mastrorum muneribus haud aliena esse crediderim, nec pugnaverim, si quis hos viros ipsos mastros fuisse existimet, quamquam hoc nomine non nominantur. Enumerantur enim una cum *ἐπιστάταις*. Hi autem *ἐπιστάται* ante eos *ἐπιστάτας*, a quibus laudantur et qui in extremo titulo *οἱ ἐν ἀρχᾷ ἔοντες* dicuntur, Lindiorum civitati praeerant, nec dubium esse potest, quin illi quoque viri, qui una cum iis nominentur, superiore anno ante mastros, a

---

1) Transactions etc. XI, p. 435.
2) Transactions l. c. n. 2.
3) R. A. XV, n. 60.

quibus laudantur, mastrorum munere functi sint. Quae autem horum mastrorum negotia nominantur item ad sacra pertinent, ut ex tituli verbis liquido apparet: — — — — — *εὐ δὲ φυλάξαντες Λινδίοις, ὅπως ταὶ αἱρέσεις γένωνται ἐν Λίνδῳ τῶν ἱερέων καὶ ἱεροθυτᾶν καὶ ἱεροποίων καὶ τῶν ἄλλων ἐπὶ τὰ [κ]οινὰ τασσομένων* — — — — — *ἔστησιν αὐτῶν Λινδίων, καθ' ἃ καὶ ἐν τοῖς νόμοις [γ]έγραπται, καὶ μὴ μετέχωντι τῶν ἐν Λίνδῳ ἱερῶν, οἳ μὴ καὶ πρότερον μετεῖχον* — — —

Apparet igitur propria mastrorum munera in sacris versata esse: ex his autem mastrorum negotiis principalibus jam alia negotia orta esse probabile est. Ac primum quidem illud munus, quo iis videndum erat, ut magistratus ad sacra pertinentes e legitimis civibus eligerentur, ita amplificatum videtur esse, ut etiam ab aliis magistratibus a populo electis, et priusquam munus susciperent, et cum munere perfuncti essent, vitae et magistratus gesti rationem reposcerent. Cui rei documento est et inscriptionis illius Lindiae locus *καὶ τῶν ἄλλων ἐπὶ τὰ κοινὰ τασσομένων* et Hesychii locus, ubi legitur: *μαστρίαι· αἱ τῶν ἀρχόντων εὐθύναι. Εὐθύναι* enim apud Athenienses inquisitiones illae vocabantur, quae in magistratus munere perfunctos fieri solebant. Simili modo mastrorum judicia quoque ex principali eorum munere orta atque omnino factum esse puto, ut eorum collegium civitatis quasi senatum efficeret.

Nimirum mastrorum negotia in ipsa Rhodo urbe propter exterorum populorum commercium ac commeatum tam in bello quam in pace multo majora erant, quo factum est, ut, quae negotia initio secundi ordinis fuerunt, jam primum locum tenerent ac mastrorum collegium primo sacrorum causa institutum, cum etiam de summis rebus ad rempublicam spectantibus deliberaret, *βουλά* vocaretur.

Jam ut singula mastrorum munera exponamus, senatus de omnibus rebus primus deliberabat, ejusque decreta a populo aut sanciebantur aut reiiciebantur. In minoris momenti rebus senatus decretum a populo sanciri non oportuit[1]. Senatui classis exercitusque duces et legati rationem

1) Polyb. 27, 11.

reddebant[1]), ad senatum periculum reipublicae imminens deferebatur[2]), senatum exterorum quoque populorum legati adibant[3]). Rhodiorum legatos plerumque e senatorum vel eorum numero, qui senatores fuerunt, sumptos esse eo verisimile fit, quod nomina senatorum eodem tempore saepe in legationibus Rhodiis occurrunt[4]). Quos quidem Rhodiorum legatos, ut senatores conventicium[4]), accepisse viaticum ex Ciceronis narratione apparet[5]), qui dicit Rhodiorum legatos capitis actione conventos esse, quod tardius praestituta die iter ingressi moram suam accepti legativi tarditate excusare non potuissent.

Scilicet, ut comitia omnium Rhodiorum communia erant, ita senatores quoque ex universo populo electos esse consentaneum est, ita ut et Rhodii et Lindii et Ialysii et Camirenses viros elegerint, qui Rhodi in curia sederent. In eligendis senatoribus rei familiaris nulla ratio habebatur, nam senatui tam divites quam pauperes interfuisse, qui de omnibus rebus et magnis et parvis deliberarent, Sallustius testis est[6]). Senatores non semper in senatu fuisse sed alios menses alios per vices in curia et in comitiis sedisse et negotiorum quasi praemium conventicium accepisse Cicero tradidit[7]), sed quo modo aut quo ordine senatores per singulos menses mutati sint, memoriae non traditum est.

Senatorum qui fuerit numerus, aut quibus temporibus convocati sint neque ex serum scriptorum libris neque ex inscriptionibus cognosci potest. Conveniebant senatores in *βουλευτήριον*[8]). Senatorum dignitatem perpetuam fuisse vel complures annos durasse Paulsenius injuria inde concludit, quod diversis temporibus iidem occurunt senatores, velut Agathagetes et Rhodophon uterque tam anno 169 quam 171

---

1) Polyb. 16, 15, 8; 28, 15; 27, 11, 4.
2) Diod. 20, 94.
3) Polyb. 27, 4.
4) Cic. de rep. 3,35. Dio Chrys. Rhod.
5) Cic. de invent. II.
6) Sall. de rep. ep. II.
7) Cic. de rep. II., 35.
8) Ar. Rhod. 2.

a. Chr. n.[1]), cum hos viros senatores fuisse omnino non constet, et, si fuerunt, iterum electos esse probabile sit. Contra crediderim senatores in unum annum creatos esse, id quod multo magis cum populari Rhodiorum reipublicae forma convenit. Nam nonnisi optimates in senatum legi, cum nullo in veteribus auctoribus loco confirmetur, nescio quo jure Paulsenius ex Strabonis loco concludere possit[2]). Praeerant senatui prytanes et scriba senatus, qui senatorum princeps fuit. De his infra agendi locus erit.

§ 10. De magistratibus.

Rhodiorum magistratuum varia genera fuisse, quamquam consentaneum est, tamen in singulis demonstrari non potest neque de legibus, quae in magistratibus eligendis observatae sunt, quidquam certi constat. Mueller quidem putat certos magistratus velut prytanes et nauarchos non nisi ex optimatibus electos esse. Sed haec Muelleri sententia nulla re confirmatur. Prytanes quidem, quos magistratus Mueller ex veteribus regibus ortos et propterea antiquissimis temporibus ex Heraclidarum gente electos esse putat, nescio an post Rhodum urbem conditam demum instituti sint, cum neque apud Lindios neque Ialysios nec Camirenses memorentur, quibus civitatibus alius nominis magistratus, ἐπιστάτας et δαμιουργούς, ut post Rhodum urbem conditam ita antea quoque praefuisse verisimile est. Quae res eo quoque quodammodo comprobari videtur, quod Rhodi cum prytanum munere nulla res videtur conjuncta fuisse, quae ad sacra pertineret, cum alias publica prytanum munera magnam partem e sacris oriunda essent. Nihilo autem minus consentaneum est Rhodiorum magistratus secundum certas leges electos esse. Quae quales fuerint, quamquam omnino non constat, tamen id saltem videtur statuendum esse, certum cursum honorum in magistratibus eligendis observatum esse. Apparet enim ex titulis, in quibus variorum civium cursus honorum enumerantur, nemi-

---

1) Polyb. 28, 2; 27, 6.
2) Strab. 14, 653.

nem prytanem factum esse, qui non antea praetor fuisset aut magistratum praetoris ordini parem gessisset, nec quemquam praetorem aut quaestorem factum esse, cujus virtus non antea in minoribus muneribus spectata esset. Qui autem in honorum cursu dignitatis varii gradus fuerint, in singulis magistratibus exponendi locus erit. In certis magistratibus eligendis rei familiaris rationem habitam esse quamquam verisimile est, tamen non testatum est.

§ 11. De prytanibus.

Prytanes summos reipublicae magistratus fuisse non solum a rerum scriptoribus affirmatur[1]) sed titulis quoque comprobatur, cum et in cursu honorum prytanum dignitas summus gradus videatur fuisse et in iis inscriptionibus, in quibus varia magistratuum collegia enumerantur, prytanes primum locum teneant. Prytanes numero sex fuerunt, ut ex titulis apparet; rerum scriptores numerum non tradiderunt, qua de causa adhuc non nisi duo fuisse prytanes putabantur.

Si ex Appiani illo loco, quo dicit Alexandrum unum prytanem a Rhodiis creatum esse[2]), de hujus magistratus vel tempore vel eligendi ratione quidquam colligere liceret, unum tantum prytanem quoque semestri in triennium creatum esse putarem, ita ut prytanum numerus quoque semestri repleretur: sed facere non possum, quin hanc Alexandri prytanis electionem propter rerum condicionem illo tempore extraordinariam cum Paulsenio contra legem factam esse putem. Videntur autem prytanes ut similes in aliis Graeciae civitatibus magistratus in unum annum creati esse, quae res ex loco Polybii[3]) et inde, quod Plutarchus Rhodiorum prytanes cum boeotarchis comparat[4]), concludi potest. Foucartus Polybii illius loci rationem habens, ubi Rhodiorum prytanis comitia regens dicitur τὴν δευτέραν ἕκμηνον

---

1) Polyb. 27, 3; App. 4. 66.
2) App 4, 66.
3) Polyb. 27, 6.
4) Plut. ger. reip. praec. p. 240.

πρυτανεύσας, tres per semestre prytanes creatos esse existimat; ita ut reipublicae gerendae posteriore demum semestri praeessent. Sex prytanes non eodem tempore pari potestate reipublicae praefuisse, sed per vices munere functos esse admodum verisimile est, cum idem de Rhodiorum senatoribus constet. Nectamen propter Polybii illum locum tres per semestre magistratum gessisse crediderim, cum trium prytanum nusquam mentio fiat, sed aut plures nominentur aut unus. Quodsi Foucartus putat ex prytanibus unum quasi *κατ' ἐξοχήν* prytanem fuisse summaque usum esse auctoritate, haec res quodammodo eo confirmatur, quod apud rerum scriptores saepius unius tantum prytanis tamquam summi rei publicae magistratus mentio fit; sed, quod Paulsenius, qui item unum ex prytanibus ceteros vel alterum (cum duos tantum prytanes fuisse existimet) auctoritate superasse putat, ad suam sententiam approbandam affert, in monetis Rhodiis unius tantum magistratus eponymi nomen inveniri, propterea falsum argumentum est, quod Rhodiorum magistratum eponymum constat fuisse non prytanem sed sacerdotem solis[1]).

Jam ut prytanum singula negotia enarremus, toti reipublicae administrandae praepositi erant, cum et senatui et comitiis praeessent[2]). Prytanes enim rogationes ad senatum ferebant, quod, an senatoribus quoque licuerit, dubium est. Prytanum rogationes, cum a senatu probatae erant, ab ipsis prytanibus comitiis proponebantur[3]), in quibus aut probabantur (*κύρωσις*) aut rejiciebantur. Probata autem, ut efficerentur, item a prytanibus curabantur; velut legati ab iis eligebantur[4]). Prytanibus quoque ut senatui praefecti nuntios mittebant[5]), subjecti injuriarum querimonias referebant[6]), exterorum populorum legati litteras suas tradebant[7]) et in

---

1) *Ἀθήναιον* 1874, l. c.; Dumont, inscr. cér. p. 76.
2) Polyb. 27, 6; App. de b. c. 4, 66.
3) Polyb. 15, 23; 27, 6.
4) Polyb. 29, 4.
5) Polyb. 16, 15, 8.
6) Wadd. n. 251.
7) Polyb. 27, 4.

senatum vel comitia introducebantur. Belli prytanibus nullum fuisse imperium videtur. Neque enim Rhodi imperium pacis ac belli iisdem magistratibus commissum erat. Nihilominus autem prytanes, quemadmodum de totius civitatis administratione sic de apparatibus bellicis quoque[1]), de navalibus ac de re frumentaria supremam curam gerebant[2]). Itaque classem quidem instrui jubere a prytanum munere non alienum erat, sed ipsi classem non ducebant[3]). Quin etiam cives ad bellum exhortabantur[4]), et, si ipsa urbs oppugnabatur, patriae defendendae causa arma copiebant[4]).

Publicum aedificium, in quo prytanes negotia publica curabant, prytaneum erat[5]), in quo prytaneo civitatis tabularium erat, ubi publica decreta servabantur. Prytaneo quoque exterorum populorum legati recipiebantur[6]).

Rhodiorum prytanibus magistratus analogi Lindi *ἐπιστάται*[7]), Camiri *δαμιουργοί*[8]) videntur fuisse. Horum magistratuum, quale munus fuerit, dici vix possit. Foucartus *ἐπιστατᾶν* dignitatem perpetuam fuisse falso concludit ex tituli illius Lindii verbis *οἱ ἐπιστάται οἱ ἐν ἀρχῇ ἔοντες*. *Ἐπιστάται* enim *οἱ ἐν ἀρχῇ ἔοντες* dicuntur, quod opponuntur iis *ἐπιστάταις*, qui munere perfuncti laudantur. Ceterum Lindiorum *ἐπιστάται* non confundendi sunt cum *ἐπιστάταις* illarum societatum ad sacra pertinentium, quorum passim in titulis Rhodiis mentio fit.

§ 12. De classis praefecto.

Rhodiorum nauarchi non nisi in duobus titulis occurrunt[9]). Foucartus nauarchos, cum in titulis, ubi Rhodiorum magistratuum collegia enumerantur, non nominentur, eosdem

---

1) Liv. 44, 23.
2) Strab. 14, 965.
3) Liv. 44, 23.
4) Diod. 20, 88.
5) Polyb. 15, 23.
6) Polyb. 29, 5.
7) R. A. XV, 60.
8) R. A. XIV, n. 59; Bull. V, p. 336, n. 14.
9) C. J. G. 2525; Bull. III, p. 471.

magistratus fuisse ac qui in titulis στρατηγοί appellentur, mihi adeo non persuasit, ut contra nauarchum et nomine et ordine a strategis prorsus diversum fuisse credam. Quodsi inter Rhodiorum magistratuum collegia nauarchus non nominatur, inde nihil aliud sequi potest, quam quod Paulsenium quoque ex Polybii loco[1]) conclusisse video, nauarchi muneri non ut strategorum semper aliquem praefectum fuisse, sed nauarchum potius, ut res postularet, non nisi belli temporibus creatum esse. Ceterum etiam rerum scriptores videntur Rhodiorum strategos separasse a nauarcho, id quod Foucartus negat. Appianus quidem Eudorum Rhodium classis ducem στρατηγόν appellat[2]), ceteris vero locis Rhodiorum classis duces ναυάρχους dicit. Item Livius aliis locis Rhodiorum ducem „classis praefectum" i. e. ναύαρχον appellat sed l. 33 c. 18 Praesistratum praetorem i. e. στρατηγόν dicit.

Fuit autem nauarchus praetoribus et auctoritate et ordine multo superior, quae res inde intellegi potest, quod Rhodiorum nauarchus ut Romanorum dictator non, nisi res postulabat, creabatur. Tanta autem fuit nauarchi apud Rhodios auctoritas, ut nulla rogatione antea ad populum perlata cum ceteris populis agere posset[3]). Haec nauarchi potestas scilicet ita circumscripta fuit, ut, quaecunque nauarchus cum exteris populis suo arbitrio egisset, priusquam valerent, a populo sanciri oporteret. Nihilo autem secius nauarchi propter id ipsum, quod suo arbitrio cum exteris populis agere potuit, summa auctoritas fuit, et Rhodii hoc ejus jure aliquando, ne populi decretum fieret, de industria usi legatum Romam mittendum simul nauarchum nominaverunt[4]). Nauarchus scilicet bellum suo arbitrio gerebat, quamquam de rerum eventu senatus ac prytanibus nuntios mittere ac rationem reddere debebat. Nauarchum unum in unum bellum creatum esse suo jure Paulsenius conjecit. In bello Syriaco tres quidem nominantur Rhodiorum nau-

1) Polyb. 30, 5.
2) Appian. Spr. 4, 27.
3) Polyb. 30, 5.
4) Polyb. 30, 5; Liv. 45, 25.

archi, sed hoc inde repetendum videtur, quod, ut recte Schneiderwirthius cognovit[1]), tum tria Rhodiis bella diversis locis gerenda erant. Item in C. J. G. n. 2525 duo Rhodiorum nauarchi nominantur, nec tamen puto hos eodem tempore munus gessisse sed alterum alteri successisse; quodsi Boeckhius in hujus tituli litteris extremis tertii nauarchi nomen latere suspicatur, Foucartus hunc locum suo jure aliter restituit[2]).

Cum nauarchus vir ignavus inveniebatur, alius pro eo creabatur[3]). Sed, cum nauarchi munus maximi momenti esset, ad hunc magistratum gerendum non nisi tales cives eligebantur, quorum virtus spectata esset; nec raro iidem nauarchi in varia bella creati sunt.

Jam ut de Rhodiorum classi bellica, quae dici possunt, exponamus, Rhodii rei navalis peritissimi a Floro nauticus populus appellantur[4]), qui in bellis navalibus prae ceteris excellebant. Quae Rhodiorum virtus magnam partem deberi videtur exercitationibus illis, quibus Rhodiorum ephebi etiam pacis temporibus operam dabant, ita ut exercitationis causa ipsas expeditiones facerent; quam rem Foucartus ex illis verbis, quae saepius in titulis Rhodiis occurrunt *στρατευσάμενος κατὰ πόλεμον* sagaciter concludit, cum haec verba intolerabilem pleonasmum praeberent, nisi *κατὰ πόλεμον* opponendum esset *κατ᾽ εἰρήνην*. Ita factum est, ut Rhodiorum juventus navium peritissima fieret, et non solum tenuiores sed etiam honestiores arti nauticae operam navarent. Rhodiorum classem praecipue juventute exornatam fuisse titulo quodam Rhodio[5]), confirmatur ex quo ratio quoque apparet, quo Rhodiorum juventus in varias classis naves distributa sit. Quodsi civis ille, cujus cursus honorum in hoc titulo describitur, initio, cum primo expeditioni bellicae interfuisset, dicitur *τιμαθεὶς ὑπὸ τῶν ἁλικιωτῶν τοῦ κοινοῦ θαλλοῦ στεφάνῳ* apparet ephebos non fuisse separatos sed certam

1) Schneiderw. p. 162.
2) R. A. XI, p. 230.
3) Polyb, 33, 15; Diod. 31, 41.
4) Florus 2, 7.
5) R. A. XI, n. 1.

classis partem effecisse, quibus jus esset, ut commilitonem certis honoribus afficerent. Item ex laudibus illis, quae militi primo ὑπὸ Σαμοθρᾳκιαστᾶν Μεσονέων τοῦ κοινοῦ tum ac conjunctis Σαμοθρᾳκιασαῖς cum Λημνιασταῖς contigerunt, concludendum esse existimo has Σαμοθρᾳκιαστάς et Λημνιαστάς certas classis partes fuisse. Iniuria autem Foucartus haec nomina repetenda esse putat a navium nominibus [1]), cum Σαμοθρᾳκιασταί et Λημνιασταί potius e numero multarum illarum societatum videntur fuisse, quibus propter communes sedes communia sacra celebrabantur. Hae autem societates, cum communes sedes haberent, nescio an nonnunquam proprias κτοίνας effecerint, in quas Rhodiorum civitatem discriptam fuisse scimus. Quod si verum est, intellegitur, cur miles ille a societatibus coronatus sit, cum veri haud ita dissimile sit, naves ex singulis κτοίναις ornatas esse, ita ut uni vel duabus κτοίναις una navis ornanda esset. Quodsi Σαμοθρᾳκιασταί μεσόνεοι dicuntur, hoc nomen cum Foucarto de remigibus intellegendum esse puto, qui in medio nave erant.

Rhodios servorum opera in classe omnino non usos esse Paulsenius ex Strabonis loco concludit, quam conjecturam falsam esse Schneiderwirthius demonstravit [2]).

Navium, quibus Rhodii in classi bellica usi sunt, Macedonica aetate quattuor praecipue genera fuisse videntur: νῆες κατάφρακτοι, τριημιόλιαι, ἄφρακτοι, τριήρεις [3]).

Principis navis praefecti nomen fuit τριήραρχος [4]) Τριηράρχῳ inferior fuit πρωρεύς [5]). Ceterum hi navium praefecti pro navium, quibus praeerant, genere ordine differebant.

Classium duces non semper nauarchi fuerunt, sed minor navium numerus a praetoribus [6]) quoque et trierarchis videntur ductae esse. Ejusmodi classis duces apud Polybium

---

1) R. A. XI, p. 222.
2) Schneiderw. anm. 103.
3) C. J. G. 2524, 2525; R. A. XI, n. 1: Polyb. 16, 2.
4) C. J. G. 2524.
5) R. A. XI, n. 1.
6) Appian Syr. 27.

plerumque universo nomine *ἄρχοντες* vel *ἡγεμόνες* vocantur [1].

Quod ad classem adornandam spectat tricrarchis quandam pecuniam, qua omnia navibus instruendis necessaria compararent, datam esse ex Aristotelis loco colligi potest. [2] Pacis tempore naves longae in navalibus servabantur [3], in quibus ipsis, cum Rhodiorum opes in rerum navalium praestantio niterentur, quaedam tanta severitate occulta habebantur, ut, quicunque iniussus ea ingressus esset vel introspexisset, morte mulctaretur [4].

§ 13. De praetoribus.

Cum ad quodque bellum maritimum gerendum nauarchus crearetur, praetorum belli imperium non ejusdem momenti esse potuit. Praetores quamquam interdum etiam parvae classis parti videntur praefuisse [5]), tamen plerumque copias terrestres ducebant [6]). Cum autem Rhodii copiis terrestribus omnino non pollerent et bella extra urbem terra gerenda admodum molesta et omnino bellum terrestre parum notum iis fuisse videatur, ita ut plerumque militibus mercennariis uterentur quin etiam bello cum Syris orto Attalum ad apparatus bellicos parandos arcesserent, vix intelligi possit, cur praetorum Rhodiorum tantus numerus fuerit, quantus in titulis exstat. Decem enim praetores fuisse duobus titulis confirmatur [7]; in alio quodam ejusdem fere temporis titulo vel duodecim occurrunt. [8] Hic tantus praetorum numerus nescio an aliter intelligi non possit nisi ita, ut, quemadmodum apud Athenienses, praeter militaria illa aliàquoque eaque plura praetorum negotia fuisse putemus. Quae res eo quoque probatur, quod praetores semper erant neque velut nauarchus modo belli temporibus

1) Polyb. 27, 5.
2) Arist. Pol. 5, 4, 2.
3) Polyaen. 5, 17, 2.
4) Strab. 14, 965.
5) Appian, Syr. 4, 27.
6) Liv. 33, 18; Polyb. 30, 5.
7) R. A. XI, n. 2; Mittheil. d. d. a. Inst. II, p. 224.
8) Ross, J. G. J. 275.

creabantur. Quae autem fuerint haec praetorum negotia, deficientibus testibus vix dici possit. Verisimile tamen est, certa eorum munera eadem fuisse ac praetorum Atheniensium.

Provincias quidem Rhodiorum a praetoribus administratas esse ex titulo illo Rhodio a Roehlio edito liquido apparet, in quo unus ex praetoribus dicitur ἐπὶ τὸ πέραν i. e. Peraeae praepositus. Item unus ex Atheniensium praetoribus dicebatur στρατηγός εἰς Σαλαμῖνα [1]). Huic praetori Peraeae provinciae praeposito videntur subditi fuisse tres illi ἁγεμόνες ἐπὶ Καύνου, ἐπὶ Καρίας, ἐπὶ Λυκίας, qui in extremo titulo nominantur. Mirari subeat, quod non item insulis illis a Rhodiis subjectis, Telo, Chalcae, Caso, Carpatho, Symae, Nisyro, Astypalaeae, quae etsi non semper Rhodiis parebant, tum quidem, cum Lycia et Caria sub Rhodiorum potestate erant, maximam partem Rhodiorum erant, praepositi praetores vel praefecti (ἁγεμόνες) inveniantur. Forsitan hae insulae cum Rhodo una republica continebantur nec provinciarum loco habebantur, quod idem Rossio persuasum fuisse video [2]). Nec tamen hae insulae ut Lindus, Jalysus, Camirus proprias civitates effecerunt, sed harum civitatum uni vel alteri additae erant. Telus quidem ad Lindum pertinebat [3]), Chalce ad Camirum [4]). Peraea quoque continentis regio divisa videtur fuisse, cujus pars quaedam ad Camirum pertinebat [5]). Haec Rhodiorum Peraea, quam Strabo inter Phoenicem et Daedalam montes sitam esse dicit [6]), a pristinis temporibus Rhodiorum videtur fuisse, cum apud Livium dicatur possessa a majoribus eorum. Peraea Romanorum temporibus modo major modo minor erat, maxima certe, cum Caria et Lycia ei additae erant inde ab a. a. Chr. n. 188—167 [7]), quo tempore ille quoque

1) Pausan. 1, 35.
2) Ross, A. Aufs. II, p. 606.
3) Transactions XI, p. 435.
4) Schneiderw. anm. 8.
5) Transactions l. c.
6) Strab. 16, 651—652.
7) Liv. 45, 25.

titulus Roehlianus scriptus est. Peraea Rhodiorum videtur fuisse etiam postquam Romani Lyciam et Cariam Asiae provinciae suae addiderunt, cum Strabo Peraeam ut Rhodiorum provinciam describat[1]). Caunus, quamquam in medio Peraea sito erat, tamen libera videtur fuisse usque post a. a. Chr. n. 309, cum Rhodii Caunum a Ptolemaeo captam ab hujus ducibus 200 talentis emerunt[2]); deinceps Caunus sub Rhodiorum potestate fuit, etsi saepius Rhodiorum regno sese liberare studuit[3]).

Ut Peraeae provinciae *ἁ χώρα* opposita erat, ita praeter praetorem illum *ἐπὶ τὸ πέραν* alius praetor fuit *ἐπὶ τὰν χώραν*, quem similem magistratum fuisse puto atque Atheniensium illum *στρατηγὸν ἐπὶ τῆς χώρας*.

Ceterorum praetorum quae munera fuerint, dici non potest; forsitan etiam majoris momenti erant quam praetorum *τοῦ ἐπὶ τὸ πέραν* et *τοῦ ἐπὶ τὰν χώραν*, cum hi in numero extremum locum teneant. Uni ex praetorum numero curam fuisse statuarum publicarum Dio testis est[4]). Idem apud Athenienses praetoris munus fuit[5]). Foucartus Rhodiorum praetores judiciis quoque praefuisse putat. Reipublicae administrandae eos participes fuisse inde concludi potest, quod in titulo quodam junctim cum quaestoribus tamquam similis magistratus enumerantur[6]).

§ 14. De quaestoribus.

Rhodiorum quaestores praetoribus ordine inferiores erant, ut ex titulis apparet, in quibus semper post praetores nominantur. Foucartus certam rationem putat interfuisse inter praetorum et quaestorum numerum, ita ut duobus praetoribus unus quaestor additus fuerit[7]). Haec sen-

---

1) Strab. 14, 651.

2) Appian. Mithr. c. 53.

3) Newton, History of Caria.

4) Dio Chr. 31.

5) Stenersen, De hist. variisque gen. statuarum iconicarum. Christianiae 1872, p. 56.

6) R. A. XI, p. 253, n. 2.

7) R. A. XI, n. 2.

tentio non confirmatur titulo Rhodio nuperrime a Roehlio edito[1], in quo 10 praetores et 7 quaestores enumerantur. Omnino et praetorum et quaestorum numerus fluctuat, quamquam nusquam pauciores praetores quam 10 aut pauciores praetores quam 5 inveniuntur.

Quaestorum munera per singula describi non possunt. Consentaneum est quaestores reipublicae aerario praefuisse, in quo scilicet Rhodiorum reipublicae potentia posita erat. Neque haec res mira videri potest, cum Rhodii omnium Graecorum ditissimi fuerint[2]. Replebatur aerarium provinciarum tributis ceterisque vectigalibus. Horum autem vectigalium maximum fuit ἐλλιμένιον illud, quod florentibus civitatis temporibus decies centenis drachmarum milibus quotannis publicanis locabatur[3]. Praeter hoc portorium reditus publici e tributis provinciarum constabant. Sic duae urbes Caunus Peraeae et Stratonicea Cariae quotannis 120 talenta aerario Rhodiorum solvebant[3]. Eodem modo insulae eorum imperio agnoscentes tributa pendebant, quod quidem de Pharo insula constat[4].

Praeter hos quaestores, qui Rhodiorum reipublicae aerario praeerant, in singulis quoque insulae urbibus ταμίαι nominantur, qui, cum harum urbium respublica in sacris versaretur, propterea ἱεροταμίαι quoque vocabantur[5], quod de Lindo et Nettaea urbibus certum est.

§ 15. De scribis.

Singula magistratuum collegia suum quodque scribam habebant. Quinque quidem collegiorum scribae in titulis inveniuntur[6]: scriba senatus ac prytanum, scriba praetorum, scriba quaestorum, scriba episcoporum, scriba ἐπιμελητῶν τῶν ξένων. In titulo quodam Rhodio a Foucarto edito praetorum et quaestorum unus tantum scriba communis no-

1) Röhl, Mitt. d. d. Inst. II.

2) Sallust., d. b. c. Dio Chr. Rhod.; Hom. Iliad. II; Pind. olymp. od. III; Arist. Rhod.

3) Polyb. 31, 7.

4) Ammian. Marcell. 22, 10.

5) Ross, Hell. 23; Arch. Aufs. II, n. 17, l. l.

6) Mittheil. etc. l. c.; Ross J. G. J. 271.

minatur. Hi variorum collegiorum scribae pro collegii cujusque auctoritate ordine differebant. Summus sine dubio senatus ac prytanum scriba fuit, qui in titulis post prytanes sed ante praetores locum obtinet. Hujus scribae auctoritatem permagnam fuisse ex Atheniensium senatus scribae auctoritate intelligi potest. Neque autem puto Rhodiorum scribas senatus ac prytanum ut Athenis pro singulis senatus partibus, quae per menses mutatae magistratum gerebant, per vices creatos esse, sed munus annuum videtur fuisse, cum in titulis, ubi Rhodiorum magistratus enumerantur, sex prytanes sed unus semper scriba senatus ac prytanum nominetur. Item ceterorum collegiorum scribas in unum annum creatos esse crediderim. Haud parvum scribae senatus auctoritatis indicium est, quod in titulo quodam[1]) omnes et majores et minores magistratus ad senatus scribam mortuum sepulturae honore ornandum concurrere legimus. Quae autem fuerit haec scribae senatus ac prytanum auctoritas, dici vix possit. Certe reipublicae tabulario praeerant, quod in prytaneo erat[2]), ubi senatus ac populi decreta servabantur. Populi quidem decreta litteris mandata esse ex variis scriptorum locis apparet[3]). Additus fuit scribae senatus ac prytanum subscriba senatus ac prytanum, qui in duobus titulis occurrit[4]). Hic inferioris ordinis magistratus erat, cum in titulis post episcoporum collgium locum obtineat. Item ceterorum collegiorum scribis subscribas additos fuisse ex fragmento illo ὑπογραμ . . . . in fine tituli cujusdam a Rossio editi[5]) concludi potest. Similis magistratus ac scriba senatus ac prytanum Lindi mastrorum scriba erat[6]) et Nettaeae ὁ γραμματεὺς τῶν ἱεροφυλάκων[7]).

---

1) R. A. XI, n. 2.
2) Polyb. 16, 15; Dio Chrys. Rhod.
3) Diod. 20, 84; Liv. 45, 25; Dio Chr. Rhod.
4) Ross, J. G. J. 275; Mittheil. II, l. c.
5) Ross, J. G. J. 275.
6) Ross, Arch. Aufs. II, n. 16.
7) Ross, J. G. J. n. 276.

§ 16. De aliis quibusdam Rhodiorum magistratibus.

Ἐπιστάτης τῶν παίδων.

Si quid est, quod reipublicae bene constitutae cum emolumento tum ornamento esse et possit et debeat, juventus profecto bene educata est. Qua de causa in Graecorum rebus publicis id praecipue admiratione dignum est, quod pueri educandi non parentibus aut adgnatis sed reipublicae commissi erant, ut liberi ea ratione educarentur, qua civitati, cui potissimum nati erant, non damno sed usui esse possent. Quam quidem juventutis educandae rationem, quam Spartae a Lycurgo institutam esse scimus, Rhodi quoque fuisse ex titulo quodam Rhodio apparet[1]), in quo Rhodiorum magistratus quidam *ἐπιστάτης τῶν παίδων* nominatur. Ejusdem nominis magistratus apud Lacedaemonios fuit, neque injuria Foucartus putat Rhodios illum magistratum instituentes, Lacedaemonios secutos esse[2]). Lycurgus quidem liberorum educandorum curam omnibus natu majoribus mandaverat sed posteris temporibus labentibus moribus atque increscente singulorum in rem publicam negligentia videtur opus fuisse, ut haec cura proprio magistratui deferretur. Hujus autem magistratus ordo atque auctoritas pro muneris gravitate haud ita parva fuit, cum qui in titulo hunc magistratum gessisse dicitur, munere perfunctus *ἱεροθύτης* et tum prytanis factus sit. Athenis juventutis educandae curam certo praetori mandatam esse scimus.

Huic Rhodiorum *ἐπιστάτῃ τῶν παίδων* subditus videtur fuisse *γυμνασίαρχος*, inferioris scilicet ordinis magistratus[3]). Horum autem *γυμνασιάρχων* varia genera fuisse videntur, id quod ex gymnasiarchi Lindii epitheto *νεώτερος* concludi potest[3]). Forsitan Lindiorum *γυμνασίαρχος νεώτερος* idem magistratus erat atque *ἐφήβαρχος* vel Stratoniceus ille *γυμνασίαρχος τῶν νέων*[4]).

Quomodo liberi Rhodi educati sint, quamquam per

1) R. A. XI, n. 2.
2) R. A. XI, p. 224.
3) Ross, Arch. Aufs. II, n. 26.
4) C. J. G. 2724.

singula dici non potest, tamen ut in ceteris Graeciae civitatibus ita Rhodi quoque in corporibus corroborandis maximum studium videtur collocatum esse, quae res inde quoque apparet, quod juventutis educandae cura homini tradita erat, qui ab humili ordine ingressus nonnisi militaribus muneribus functus erat, et quod magistratus Rhodiorum fuit *γυμνασίαρχος*, de quo supra egimus.

Ἐπίσκοποι.

Episcoporum collegium in tribus titulis Rhodiis occurrit [1]). Hujus quidem collegii, quod fuerit munus, dici vix possit. Ne numerus quidem certus est, cum in duobus titulis tres, in tertio quinque nominentur *ἐπίσκοποι*. Ordine episcopos inferiores fuisse quaestoribus inde apparet, quod in omnibus titulis post eos nominantur.

Ἀστυνόμοι.

Rhodiorum astynomos [2]) non est, cur alium magistratum fuisse putemus atque Atheniensium astynomos, quibus viarum ac publicorum aedificiorum cura mandata erat. Qua de causa valde dubito, num hic magistratus Rhodi superior fuerit praetoribus et trierarchis, id quod ex titulo illo citato corporis inscriptionum conjectari possit, cum Entimus Rhodius, cujus honores in hoc titulo enumerantur, primo praetoris, tum trierarchi, tum praefecti, denique velut summum, quem attigit, astynomi magistratum gessisse dicatur. Qui cursus honorum veridissimillimus et cum aliis, qui in titulis traditi sunt, valde discrepans, nullam habet difficultatem, si inverso ordine intelligitur, ita ut Entimus primo fuerit astynomus, tum praefectus, tum trierarchus, tum denique praetor, qui honos propter id ipsum, quod summus fuit, in initio tituli positus est.

Ἐπιμεληταὶ τῶν ξένων.

Collegium quinque *ἐπιμελητῶν τῶν ξένων* Rhodi fuisse eodem titulo a Roehlio edito confirmatur. De hoc collegio omnino nihil certi dicere possumus, nisi quod episcopis or-

1) Ross, J. G. J. 275, 276; Mittheil. II, 1872 l. c.
2) C. J. G. 2524.

dine videntur inferiores fuisse, cum in titulo post illos positi sint.

§ 17. De publicis Rhodiorum honoribus.

In plurimis antiquitatis inscriptionibus de honoribus agitur, qui singulis civibus de patria bene meritis a republica contingebant. Quorum honorum apud Graecos multa ac varia genera erant, quorum plurima in Rhodiis quoque inscriptionibus occurrunt. Quamquam hae inscriptiones maximam partem ad Lindum pertinent, tamen non est, cur publicorum honorum rationem in ceteris insulae civitatibus aliam fuisse putemus, cum et sollemnia verba et ordo honorum in titulis Rhodiis[1]) eadem sint atque in titulis Lindiis. Ornabantur autem Rhodii publicis honoribus vel ab universo populo vel a singulis insulae civitatibus[2]) vel a pagis et gentibus[3]) vel ab exteris civitatibus[4]). Societates non ad rem publicam pertinentes socios honoribus afficere non potuerunt, priusquam decretum a populo sancitum esset. *Εὐθαλίδαι* quidem, ut in titulo quodam Rhodio[5]) legimus, cum Sosicratem coronare vellent, consilium efficere non potuerunt, priusquam a Nettidarum senatu ac populo sanctum esset.

Publici honores viris de republica bene meritis pro cujusque laudis genere alii alii dabantur, quamquam diversis temporibus varia honorum ratio videtur fuisse, ita ut, cum prioribus temporibus unus tantum vel duo honores civi alicui concederentur, postea infiniti atque effusi junctim deferrentur. Velut in titulo quodam Lindio Eualcidus Lindius, quem primum Lindiorum coronatum esse legimus, praeter laudem et coronam nullum honorem nactus est[6]), cum in ceteris posterioris temporis inscriptionibus plures junctim honores enumerati sint. Neque omnino inter merita et honores certa fuisse ratio videtur. Formula sollemnis, qua

1) R. A. XI, n. 1 n.
2) Ross, Arch, Aufs. II, l. l. n. 23.
3) R. A. XIII, n. 6.
4) R. A. XI, n. 5; Liv. 31, 15.
5) Journ. of hell. st. 1881 l. l.
6) R. A. XIII, n. 6.

civis alicujus de republica merita exprimuntur haec est: *εὐσεβείας ἕνεκα τᾶς ποτὶ τοὺς θεοὺς καὶ ἀρετᾶς καὶ εὐνοίας καὶ φιλοδοξίας, ἂν ἔχων διατελεῖ κ. τ. λ.*[1]) Nescio an minora merita sint, si in his verbis ommittitur *εὐσεβείας ἕνεκα*; certe honorum numerus minor est in iis titulis, ubi haec verba desunt[2]).

Non fortuito factum esse puto, ut in numero honorum certus semper ordo sit. *Ἔπαινος* quidem in omnibus Rhodiorum inscriptionibus semper primum locum tenet, *στέφανος* secundum, *εἰκών* tertium, quartum locum plerumque obtinet *προεδρία ἐν τοῖς ἀγῶσιν*, qui honor semper antecedit honori *σιτήσεως ἐν ἱεροθυτείῳ*. In titulo Lindio[3]) quartum locum tenet *στεφανοφορία ἐν ταῖς παναγύρεσιν*, qui honor alias post *σίτησιν ἐν ἱεροθυτείῳ* positus est[4]); sed in hoc titulo videlicet propterea priore loco nominatur, quod una cum *προεδρίᾳ* ad *παναγύρεις* pertinet; *προεδρία* enim in hoc titulo non ut plerumque ad *ἀγῶνας* sed ad *παναγύρεις* referenda est. In extremo loco plerumque ponitur *ἀναγόρευσις τᾶνδε τᾶν τιμᾶν*, qui honor minor videtur fuisse, si in quarto loco post *προεδρίαν* posita est[5]), cum honos ita nonnisi ad tres praecedentes honores pertineat. Jam singula videamus.

Ἔπαινος.

Laude publica Rhodi quivis dignus habebatur, qui reipublicae munus, quod ei senatus vel populus mandaverat, susceptum feliciter expleverat. Ita in titulo Lindio[6]) viros ad Lindiorum electiones inspiciendas electos, cum munere bene functi essent, laude publica ornatos esse legimus. Hujusmodi decreta honorifica lapidibus inscribebantur, ut ex eodem titulo liquido apparet. Hanc quidem laudationem,

---

1) R. A. XVI, nn. 68, 69; Ross, Arch. Aufs. nn. 1, 21, 22, 23.
2) Ross, Arch. Aufs. II, nn. 2, 24; R. A. XI, n. 1.
3) Ross, Arch. Aufs. l. l. n. 22.
4) Ross, Arch. Aufs. l. l. n. 21; R. A. XVI, n. 68.
5) Ross, Arch. Aufs. n. 21.
6) R. A. XV, n. 60.

quae magistratibus munere bene functis contigit, quodammodo ex lege debitam fuisse admodum verisimile est. Ceterum alios quoque cujusvis ordinis cives de republica bene meritos ex decreto laudatos esse scimus, ita ut laudatio jungeretur cum aliis honoribus. Qua in honorum cumulatione cum laudationem semper primum locum tenere videamus, hunc primarium fuisse honorem apparet, quem primum nancisci debebat, qui ad ceteros adspirabat.

Στέφανος.

Laudatio imprimis jungi solebat cum corona, quae in honorum ordine secundum locum tenet. Coronarum apud Rhodios duo praecipue genera videntur fuisse, oleagina et aurea, quarum illa antiquior erat, sed invecto mox atque diffuso auro Persico eoque brevi moribus etiam corruptis ac depravatis aureae coronae cudi ac multo quam antea frequentius distribui coeptae sunt, quamquam ne tum quidem oleagina dari desiit; imprimis societates illae ad sacra pertinentes sociis bene meritis oleaginas coronas dabant[1]). Corona sollemnis honor fuit ludorum victorum ut Isthmiorum, Olympiorum, Pythiorum, Nemaeorum ita Rhodi quoque Haliorum, quae res ab Istro rerum scriptore affirmatur[2]).

Εἰκών.

Altissima artium scientia adduxit Graecos, ut in civium suorum honoribus et oculorum voluptati et urbis etiam decori ac gloriae studerent. Itaque loca tam publica quam privata tam sacra quam profana bonorum civium signis referta erant, nec quisquam satis diu vixisse sibi videbatur, nisi qui virtutis monumentum in urbe aut aliud grati civium animi documentum domi posteris reliquerat. Quod cum in universa Graecia tum maxime Rhodi factum esse Aristides in Rhodiaca testatur[3]).

---

1) Ross, J. G. J., n. 282; R. A. XIV, n. 52; Journ. of h. st. 1881 l. l.

2) Fragm. hist. gr. I, frgm. 60, ed. Didot.

3) conf. Plin. 34, 7.

Signa primum tantummodo diis ponebantur et postea quoque, cum in hominum honorem ponerentur, diis videntur consecratae esse, id quod ex dedicationis voce sollemni θεοῖς, quae sub plurimis statuarum inscriptionibus invenitur, concludere licet. Statuae honoris causa ponendae Rhodi vulgo ex aere fundebantur (εἰκών χαλκέα), marmorearum quidem statuarum in inscriptionibus nullum exemplum invenitur; πρόσωπα nonnunquam ex argento facta erant[1]). Scilicet signorum varia genera erant, quae in titulo universo nomine εἰκόνων comprehenduntur. Vox enim εἰκών ut apud Romanos imago latissimam vim habet, quippe qua facies hominis qualibet arte et quolibet modo expressa significetur, ita ut statua et protoma et herma et ectypum et persona et gemma tum quoque imago picta εἰκών esse possit. Statuae viris de republica bene meritis publico decreto ponebantur. Lindi sacerdotibus jus fuisse, ut munere perfuncti sibimet ipsi statuas collocarent aut mortui a necessariis hoc honore ornarentur, Rossius recte conclusit ex inscriptionibus nonnullis Lindiis[2]). In Rhodo urbe sacerdotibus imprimis Salis, qui Rhodi eponymi erant, publico decreto signa posita esse ex tribus inscriptionibus Rhodiis apparet[3]). Dio Chrysostomus in Rhodiaca morem quendam sordidum cum in Atheniensibus et Corinthiis tum in Rhodiis vituperat, quo statuas, quas viris de republica bene meritis posuerant, interdum veteri inscriptione deleta novam insculpentes aliis consecrabant.

Προεδρία.

Proedriam vocabant Graeci sedem illam primariam in contionum, ludorum, spectaculorum celebritate[4]). Hic honor Rhodi divisus videtur fuisse, ita ut aut ad ludos[5]) aut ad

1) Ross, Hell. n. 23, l. l.
2) Ross, Arch. Aufs. nn. 4—7, 12, 14 comp. cum nn. 8 et 9.
3) R. A. XIII, nn. 15—17.
4) Suidas s. v. προεδρία.
5) R. A. XI, n. 4; XVI, n. 68; Ross, Arch. Aufs. l. l. nn. 1, 21.

πανηγύρεις[1]) pertineret. Qui in titulis Lindiis dicuntur ludi, *οὓς τίθεντι οἱ Λίνδιοι*[2]), nusquam pluribus describuntur.

De Rhodiorum ludis maximis quae dici possunt, ex tribus titulis colligenda sunt[3]). Maximi Rhodiorum ludi conjuncti erant cum summo die festo, qui in Solis honorem celebrabatur et propter hoc ipsum Halia vocabatur, unde ludis nomen Halieis erat[4]). De Rhodiorum ludis Istrus refert: *Ῥόδιοι τι θέασι Ἡλίου ἐν Ῥόδῳ γυμνικὸν στεφανίτην ἀγῶνα*[5]). Quodsi Istrus nonnisi de ludis gymnicis refert, in inscriptionibus triplex ludorum genus invenitur, curriculum equorum, certamen gymnicum, certamen musicum. Curriculum equorum summis sumptibus exornatum fuisse ex titulo quodam Rhodio apparet[6]), ubi Rhodius quidam in Halieis *ἅρματι τελείῳ* vicisse dicitur, qui currus fuit preciosissimus. Ptolemaeum Aegypti regem et Attalum Pergami regem cum tribus filiis his equorum curriculis eodem anno interfuisse titulus quidam Atheniensis testatur[7]). In ludis gymnicis virorum certamina secreta erant a puerorum certaminibus[8]). Certamina musica Rhodi in Halieis fuisse Foucartus titulo quodam comprobari dicit, qui nuperrime Athenis in theatro repertus sit. In hoc titulo legitur poetam quendam dithyrambi victoriam in Rhodiorum Halieis nanctum esse.

Proedriae alterum genus apud Lindios quidem fuit *προεδρία ἐν ταῖς πανηγύρεσιν*. Ad *πανηγύρεις* alii quoque Lindiorum honores pertinebant, *στεφανοφορία* et *ἀναγόρευσις τᾶν τιμᾶν ἐν ταῖς πανηγύρεσιν*[9]). Quae autem fuerint hae *πανηγύρεις*, vel quomodo celebratae sint, nus-

1) ibidem n 22.
2) R. A. XVI, n. 68.
3) R. A. XIII, nn. 10, 12—14.
4) Ross, J. G. J. nn. 277, 285; R. A. XIII, n. 10.
5) Fragm. hist. gr. I, fr. 60 ed. Didot.
6) R. A. XIII, n. 12.
7) Rhangabé n. 962.
8) R. A. XIII, n. 12, 13.
9) R. A. XVI, nn. 68, 69; Ross, Hell. n. 44; Arch. Aufs. II, nn. 21, 22 l. l.

quam pluribus refertur, id solum constat *πανηγύρεις* anniversarias fuisse.[1])

Σίτησις.

Populus, ut victum alicui praeberet, non solum indigentium misericordia adducebatur, velut Strabo Rhodiorum pauperibus frumentum per *λειτουργίας* datum esse affirmat, sed etiam honoris causa viris de republica bene meritis quotidianum victum praebuit. Lindi haec *σίτησις ἐν ἱεροθυτείῳ* erat[2]), Rhodi in *πρυτανείῳ σίτησιν* fuisse probabiliter Foucartus conjicit.[3])

Praeter hos honores, qui nominatim in inscriptionibus enumerantur, alios quoque Rhodiorum honores publicos fuisse verisimile est. *Προξενίαν* quidem, qui honos peregrinis dabatur, Rhodi fuisse titulus quidam testatur. De *πολιτείᾳ* et *ἐπιδαμίᾳ* jam supra exposuimus. Sepulturae quoque honorem apud Rhodios fuisse duobus praecipue titulis confirmatur[4]).

---

1) Ross, Arch. Aufs. II, nn. 21—22.
2) R. A. XVI, n. 68; Ross, Arch. Aufs. II, nn. 21—22.
3) R. A. XI n. 4; XV, conf. p. 215; Ross, Arch. Aufs. p. 590.
4) R. A. XI, n. 2; Mittheil. d. d. a. Inst. II, p. 224 l. 1.

Vita.

Natus sum Guilelmus Bottermund die 31 mensis Julii a. 1858 in oppido Hannoverae, cui nomen est Borstel, patre Henrico matre Ida e gente Schramm, quos superstites summa cum pietate colo. Fidei addictus sum evangelicae. Literarum elementis imbutus inde ab anno 1870 gymnasia frequentavi Burgense et Nordhusanum. Testimonium maturitatis adeptus auctumno a. 1879 Halas Saxonum me contuli, ubi per sex semestria linguarum cum recentium tum antiquarum studiis incubui. Scholis interfui virorum illustrium: Bartholomae, Dittenberger, Elze, Haym, Heydemann, Hiller, Keil, Pott, Schmidt, Suchier, quibus viris doctissimis gratias ago quam maximas, imprimis V. Cl. W. Dittenberger, cujus opera atque auxilio in hac dissertatione componenda maxime usus sum.